



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Manuale Parochorum, De Plerisque Functionibus, & Obligationibus, ad Parochias, Parochos & Parochianos attinentibus**

**Engel, Ludwig**

**Salisburgi**

Cap. 2. De Ædificatione & Reparatione Ecclesiarum Parochialium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40922**

mirum ex prima institutione cura annexa fuit, sed ea postea per unionem, privilegium, consuetudinem aliumve casum sublata fuit: & hæc beneficia habitu solum curata adinstar simplicium beneficiorum habentur, nec cadunt sub dispositionem juris de curatis beneficijs loquentem. verb. gr. quoad incompatibilitatem, residentiam &c. *Barb. d. l. n. 50.*

CAPUT II.

De Ædificatione & Reparatione Ecclesiarum parochialium.

SUMMARIA.

1. *Episcopalis muneris est Ecclesiam parochialem, ejus fines & populum designare.*
2. *Quando & qualiter nova parochia erigenda.*
3. *Erectio nove capelle est remedium, ne nova parochia erigenda sit.*
4. *Licium est locorum ordinarijs ob causas rationabiles duas parochias in unam conjungere.*
5. *Ne Ecclesia in præjudicium parochialis Ecclesie edificetur, cura Episcopi incumbit.*
6. *An Episcopus licentiam concedere valeat privata Oratoria construendi?*
7. *Quæ ceremonia & forma in edificandis Ecclesijs servanda.*
8. *Quomodo Ecclesie parochiales ruinosæ reparandæ.*

9. *Materialia, ut ligna &c. destructa Ecclesia in profanos usus possunt converti.*
10. *Cimiterium ab Episcopo non potest profanari.*
11. *Si Ecclesia casu destructa reedificetur, non amittuntur indulgentiae vel privilegia tali loco concessa, nisi destructio facta sit in vindictam sceleris.*

**A**D Episcopi officium pertinet parochialem Ecclesiam constituere ejusque fines & populum designare, *c. nullus omnino. 16. q. 7. Trid. s. 24. de ref. c. 13.*

Olim quidem constitutum erat *in c. uni. 10. q. 3.* ut non minus quam decem municipia sive domus & familiae Ecclesiae parochiali assignarentur: Sed rectius id arbitrio Episcopi relinquitur, qui providere debet de tanto & tali parochiae districtu, ut populus ad divina commodè convenire, & parochus ex decimis & obligationibus congruè alii possit.

Quòd si parochianorum numerus in tantum excreseat, vel locorum distantia faciat, quo minus praesertim tempore hyemali populus ad unam Ecclesiam commodè conveniat, vel aegrotantibus Sacramenta deponantur, poterunt Episcopi novas parochias etiam in vitis prioribus rectoribus erigere, & pro sustentatione novorum parochorum competentem portionem ex redditibus matris sive antiquioris Ecclesiae assignare, aut si necesse fuerit, populum ad alimenta (quae ex prioribus

priori Ecclesia satis haberi nequeunt) novis parochis præstanda compellere. *Trid. s. 21. de ref. c. 4.*

Circa quam constitutionem *Trid.* desumptam ex *c. 3. x. de Eccl. adif.*

*Not. primo*, quòd Ecclesia matrix in nova parochia ex suo quasi gremio erecta acquirat jus patronatus, ejusque rector sive parochus possit præsentare Sacerdotem ad istam novam Ecclesiam, *d. c. 3. de Eccl. adif.* si tamen partem suorum reddituum contribuerit. *Garc. de benef. p. 5. c. 9. n. 57.*

*Not. secundo*, decimas ad Ecclesiam matricem pertinentes non transire ipso jure ad Ecclesiam novam, sed in arbitrio Episcopi esse, an decimas vel alios fructus eidem assignare velit, *Barb. in Coll. ad d. c. 4. Trid. n. 16.*

*Not. tertio*, quòd Episcopus citare & audire debeat antiquæ Ecclesiæ rectorem & patronum, si fortè justam causam habeant contradicendi. & si fortè parochia sit incorporata, ejus defensio non ad vicarium curam exercentem, sed ad Prælatum loci, cui parochia incorporata est, pertinebit. *Barb. d. l. n. II. § 14.*

*Not. quarto*, quod ad evitacionem novæ parochiæ erigendæ numerositati populi vel distantiae locorum provideri possit per erectionem novæ capellæ (quæ & filialis dici solet) quæ sit in potestate & proprietate parochialis antiquæ, & in qua parochus vel Prælatus habens Ecclesiam incorporatam exponat

Sacerdotem principalis Ecclesiæ coadjutorem sive vicarium. *Rota ad Tamb. post tom. 3. de jure Abbat. decis. 32. n. 6. Barb. de offic. Episc. alleg. 68. n. 7.*

4 Ex aduerso si aliqua parochia ad tantam paupertatem deveniat, ut ex ejus redditibus facta tecta conservari aut Parochus ali nequeat, nec per unionem aliorum beneficiorum simplicium ei provideri possit, licet locorum ordinarijs ex duabus parochijs unam facere. *Trid. d. s. 21. c. 5.*

5 Curabit etiam Episcopus, ne patiatur novas Ecclesias Capellas vel Oratoria in præjudicium parochialis Ecclesiæ ædificare. Et si de facto absque licentia Episcopi aliquis in præjudicium Ecclesiæ parochialis ædificare cœperit, rectè per Parochum ei nuntiatur novum opus, ut ab ædificatione desistere, & quod post nunciationem sive jure sive injuria ædificavit demoliri teneatur, *tex. & interp. in c. 1. & 2. de novi op. nunt.*

6 Dubitari posset, an hodie Episcopus rectè licentiam concedat privata & domestica Oratoria construendi in iisque celebrandi? Ratio negandi habetur in Concil. *Trid. sess. 22. de sac. missæ. c. 8.* Verùm interpretatio magis in praxi recepta est, quam etiam tradit *Nav. de privil. Conf. 5. & Barb. ad d. c. 8. n. 16.* quòd Concilium tantùm voluerit tollere abusum, ne passim sine rationabili causa in privatis domibus celebretur. Solent tamen tales licentia  
tiae

DE ÆDIFICATIONE &c. 9

tiæ dari cum clausulis : ut locus sit decenter ornatus, à sæcularibus negotijs liber, desuper à conjugatis non inhabitatus. Item ut concessio intelligatur sine præjudicio parochialis Ecclesiæ, ne ibidem conciones atque oblationes negligantur, & excipiantur dies natalis Domini, Paschæ & Pentecostes, in quibus cessante impedimento Ecclesia parochialis frequentanda est, & demùm quod in diebus festis audiendo missam in oratorio privato non satisfaciant, qui non sunt de familia personæ, cui licentia conceditur. Riccius *in praxi aurea tom. 4. ref. 298.*

Ædificium porrò parochialis ( sicut & al- 7  
terius ) Ecclesiæ inchoari non debet, nisi prius Episcopus ad locum accedat, atrium ac camiterium publicè designet, ibique crucem cum precibus figat, & in jaciendis fundamentis primum lapidem ponat, *tex. & gl. in c. 9. l. 1. de consecr.* Docet tamen Azor. *Inst. mor. l. 2. l. 9. c. 3. q. 4.* non requiri, ut Episcopus personaliter ista peragat, sed posse alteri v. gr. vicario aut personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ demandare.

Forma Ecclesiarum ex antiqua traditione recepta est, ut formâ oblongâ in modum navis ædificentur, ad denotandum, quòd in ijs quasi in navicula Petri inter fluctus & pericula hujus mundi salvemur. Item Apostolos instituisse, ut, si commodè fieri possit, altare primum & maximum versus orientem erigatur.

A 5 tur,

tur, & Christianos ex antiqua traditione consuevisse versus orientem orare, ex Clem. & alijs SS. PP. refert Azor. *d. l. 9. 12.* fortassis juxta illud *Habacuc. cap. 3. Deus ab Austro veniet &c.*

- 8 Circa reparationem Ecclesiarum parochialium ruinolarum observanda est constitutio Concil. Trid. *s. 21. de refor. cap. 7.* quòd nimirum Ecclesiæ parochiales (idem esse de domibus parochialibus declaravit S. Congre. *in eodem c. 7.*) ex fructibus & proventibus quibuscunq̄e ad easdem Ecclesias quomodolibet pertinentibus restaurari debeant. Si verò dicti Ecclesiarum redditus sufficientes non fuerint, tunc omnes patroni, & alij qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum parochiani omnibus opportunis remedijs appellatione remota cogi ad reparationem poterunt.

Quia porrò Concilium patronos aliòsque ex Ecclesia utilitatem & fructus percipientes per copulam *ET* conjungit, videntur omnes simul juxta proportionem reddituum & emolumenti arbitrio Episcopi taxandam in contributionem vocandi. Nam omnes simul tangit regula, qui sentit commodum, sentiat & onus. In rectoribus tamen & beneficiariis deducenda priùs sunt necessaria pro eorum sustentatione congrua juxta decentiam vite clericalis, non secundùm exigentiam mundanæ dignitatis, ad quam ampliandam non dai  
benef.

beneficia, sed potius pro alimento ministro-  
rum Ecclesiae & pauperum ac augendo cultu  
divino refert Barb. *in collect. ad d. c. 7. Trid.*  
n. 10.

Quod si ob notoriam egestatem nemo ex  
praedictis contribuere valeat, nec spes sit futu-  
rae reparationis, Ecclesia ruinosam omnino de-  
strui poterit, ac ejus jura & fundi dotales ad  
matricem Ecclesiam, si filialis sit, vel aliam  
viciniorum auctoritate Episcopi transferri. In  
hac porro Ecclesia, ad quam fit translatio, e-  
rigendum est altare sub eadem invocatione,  
sub qua fuit Ecclesia diruta, Barb. *d. l. n. 25.*

Idemque de beneficijs simplicibus dicen-  
dum, quae fuerunt in Ecclesia collapsa, ut ar-  
bitrio Episcopi alicui altari viciniorum Ecclesiae  
cum omnibus oneribus & emolumentis ac  
prioribus invocationibus applicentur, sicut in  
tex. Trid. habetur.

Lapides verò & ligna destructae Ecclesiae  
quamvis olim non licuerit ad alium quam Ec-  
clesiasticum usum applicare scilicet ad aedifica-  
tionem alterius Ecclesiae, *e. ligna 38. de conse.*  
*d. 1.* hodie tamen facultatem concessit Conci-  
lium Trid. *d. c. 7.* ut Ecclesiae dirutae ( id est,  
tam locus ipse quam materialia *Rota apud Fe-*  
*rris. p. 1. in posthum. decis. 107. n. 2.* ) in pro-  
fanos usus non sordidos erecta tamen ibidem  
cruce converti possint.

Non posse autem ab Episcopo profanari  
cimiterium sicut Ecclesiam *in d. decis. ha-*  
*betur,*

betur. Item ligna picta vel alia materialia aliquo signo notata, ex quo noscerentur fuisse Ecclesie, ad vitandum scandalum non posse applicari ad fabricam laicalem. ex Navar. *de spol. Cler.* §. 18. *prope finem*, refert Barb. *in d. c. 7 Trid. n. 24.*

- II Est & notabilis doctrina Azorij *Inst. mor. p. 2. lib. 9. cap. 3. q. 13.* quod si Ecclesia destruat ex incendio, tumultibus bellicis, vel ut de novo reedificetur, non propterea amittantur indulgentie vel privilegia tali loco concessa, sed ad novum etiam ædificium extendenda sint, licet aliud sit, si in vindictam sceleris autoritate superioris aliquis locus destruat.

### CAPUT III.

## De Consecratione Ecclesiarum Parochialium nec non & Altarium & Paramentorum.

### SUMMARIA.

- I. A quo & quibus ceremoniis Ecclesia sint consecranda.
2. Quibus casibus destructa & reedificata Ecclesia consecrari debeant.
3. Specialis etiam consecratio altaribus impendenda est.
4. Quid sit altare portatile & fixum, ac quibus casibus ressecrentur.
5. Calices & patenæ specialiter consecrari & ex certa materia confici debent.
6. An